

Disquisitio Theologica

De

GENERATIONE FILII DEI AB ÆTERNO EX

PATRIS ESSENTIA, $\Psi, 2, 1, 7.$

Quam

Auspice & Moderatore Jehovâ

IN ILLUSTRI BREGELANA

Admodum Reverenda Facultate Theologicâ

consensiente,

SUB PRÆSIDIO

Reverendi admodum, Clarissimi atq; Excellentissimi

VIRI

Dn. JOHANNIS BEHM, S. S.

Theologiæ Doctoris ac Professoris Pri-

marij, Illustris. Borussia Ducis Concionatoris Au-

lici ut & Consistorij Sambiensis Assessoris

dexterrimi, Præceptoris ac Fautoris

devenerandi.

Publica φιλοσοφικών ventilationi subijicit

JOACHIMUS Krafeviß/

Nob: Pomeranus.


In Auditorio Majori ad diem Septembr.



REGIOMONTI,



Typis Laurentij Segebadii, Anno 1632. * *



oll. diss. A
46, 24

146 (24)



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





I. N. S. S. E. I. T. A.

De

GENERATIONE FILII

DEI AB ÆTERNO.

T H E S I S I.



*E*rit animus præternam Filij DEI ex Patris essentiâ generationem disputationis incendi subicere. Ardua mehercule tractatio, sub cuius initium, quis non infantia sua veniam præfatur, cum Mediolanensi Antistite exclamaret? *Mihi impossibile est generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed & Angelorum. Sunt nihilominus & τὰ δύσκολα καὶ ἀ, & difficultatem hujus σκέψεως subleuat utilitas ejus non contemnenda ac summa necessitas; hoc præsertim tempore, quo vesana Phoriniani Spiritus rabies eam virulentis blasphemijs allaturat, contra quos proficuum iuxta ac necessarium erit, sententia nostra fundamenta ex Scripturâ repetere, ac unigeniti Filij DEI honorem tueri. Id καὶ δύναμις nobis facere annitentibus, annue pie Christe, & da ad verbi tui normam in hoc mysterium ita inquirere, ut veritas eruatur ac horrenda AntiTrinitatorum blasphemia detegantur & explodantur.*

Lib. 1. de
fide c. 50

2. Duo autem in hac ἐργασία occurrunt enodanda. 1. Τὸ ἕστι. An detur in divinis Generatio Filij ex Patris essentiâ? 2. Τὸ τί ἐστι. Quidnam sit ea Generatio?

A 2

3. De

3. De $\tau\omicron$ $\epsilon\iota$ in Generationis Filij à Patre cum queritur, distincta hic evolventa sunt. (a) An Generatio Filij ex Patris essentia sit possibilis? (b) An actu generatio illa detur?

4. Possibilitatem Generationis Filij à Patre evincit potentia notionalis (ut vocant Scholastici) generationis. Potentia hac liquet ex actu. cum enim detur in divinis actu notionalis generationis, presupponitur potentia, ut actus principium. actus autem in subsequenti à nobis astraetur.

5. Potentiam quando hic ponimus, ut actus intrinseci generationis principium, à quo is elicitur, monemus terminum Potentia defecandum esse, ac nequaquam hoc nos velle, ac si intra S. S. Trinitatem ita eliciatur actus generationis, ut à creatis potentijs sit, ubi potentia & actus reipsa sunt distincta: intelligimus verò id, quo generans gignit, reipsa ab actu generandi non distinctum, etsi distincto conceptu apprehendi possit.

6. Merito itaq; improbamus $\Phi\lambda\upsilon\alpha\epsilon\iota\alpha\varsigma$ Photinianorum, consendentium, Generationem Filij in divinis ex essentia Patris à nostratibus assertam esse ex impossibili numero, imò generationem propriè acceptam & unitatem essentis numericam esse contradictoriam. asserti hujus probationem si requiras, in distinctionem max audies exemplorum generationis, communicationem ejusdem, non numero, sed specie essentia ostendentem. Sed nesciunt distinguere Photiani generationem hanc $\mu\omicron\nu\omicron\tau\omicron\sigma\tau\omicron$, in totius hujus complexu similem sibi non invenientem, à generatione physica. concedimus sanè unitatem essentis numericam cum generatione physica non posse consistere: cum enim hac definitur; $\mu\epsilon\tau\alpha\beta\omicron\lambda\eta\ \epsilon\iota\varsigma\ \omicron\nu\ \chi\ \tau\omicron\iota\ \epsilon\kappa\ \mu\eta\ \omicron\upsilon\lambda\omicron$, mutatio in id, quod est, quamvis ex eo quod non est: vel Entia in potentia aeterna; & verò nihil seipsum possit actuare, distincti sint oportet in hac generatione & generans & qui generatur. sed si ab hac ad hyperphysicam generationem argumentari velint
Photi-

Smaltz.
contra
Smiglec.
c. 18. p.
159. c. 20.
p. 171.

Arist. 1. 5.
 $\Phi\upsilon\sigma.$ à-
 $\chi\rho\omicron\alpha\sigma.$
c. 1.

Phoeniciani, impingent in τὸ πρῶτον Ἰπσιήμης, ὅτι αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἕξ ἄλλῃ γένεσι μεταβάλλοντα δῆξα. saltus enim est longè maximus à naturalibus ad supernaturalia, à finitis ad infinita velle inferre. quo pacto etiam committunt ἔλεγχον πρὸς τὸ πᾶν ἢ ἀπλῶς dum illud quod generationi convenit determinatâ cum restrictione, generationi absolute ascribunt; à negatione generationis talis certo respectu, ad negandam eam ἀπλῶς vitiosè inferunt; cum Scriptura effata, quæ & numericam DEI essentiam astruunt, & eandem Filio per æternam generationem communicatam esse clarissimè testantur, indicent nobis rationem generationis à physicâ in hoc planè diversam, de qua eius imperfectione ratione communicationis essentia ejusdem non numero sed specie nullatenus participantem.

Aristot. l. 1. poster. c. 7.

7. A possibilitate ad actualitatem hujus generationis tendimus, quam evincunt 1. Scriptura dicta ἀπολογεῖ de generatione Filii DEI ab æterno à Patre agentis, qualia sunt (1) Psal. 2. v. 7. יְהוָה אָמַר אֵלַי בְּנִי אַתָּה הַיּוֹם
In dicto hoc subiectum est secunda persona Trinitatis, quod patet tum ex applicatione dicti hujus in N. T. ad Christum. Act. 13. v. 33. Hebr. 1. v. 5. c. 5. v. 5. tum ex predicatis, quæ hic talia opponuntur, ut nemini nisi secunda huic Trinitatis persona convenire possint; qualia sunt, gentes in hereditatem & terminos terra in possessionem accipere, beatitudinem conferre fiducialiter se apprehendenti &c. De hoc subiecto enuntiatum, quod sit Filius DEI, hodiè à Patre genitus, hæc posteriora verba explicant priora dupliciter, ne quis enim filium Θεῶν putet, prohibet 1. vox γῆ qua in proprio sensu generationem ex essentia denotat. 2. vox οὐρανὸν qua ita explicata, prout DEO tribui potest, videlicet imperfectione demptâ, quæ est suppositio præteriti & futuri, ut nihil maneat præter perpetuum τὸν, quod cum æternitate coincidit, tale suppeditat pro nostra thesæos confirmatione

Act. 4. 25.

argumentum: Quae generatio est aeterna, ea est ex ipsa DEI Patris essentia. De qua hic agitur ea est aeterna. E. Connexio maioris liquet, ex eo quia de fide certum est, ab aeterno nihil esse praeter unum DEVM.

8. Sed obstrepunt Photiniani, dictum hoc loqui de Davide ut DEI Filio, cui paternum affectum DEVS cum declaravit, quando ei regnum in Israelitas concessit. gloriari ergo hic Davidem se à DEO genitum, ob honoris & fastigij regij consecutionem. Frigidam his suffundunt Calvinianorum quidam, asserentes literaliter hoc dictum de Davide loqui, prout is electione & creatione sui in regem typus suis vel aeterna Filij DEI à Patre generationis, vel ejus manifestationis.

9. Resp. 1. inculcando praemissa argumenta, qua verba haec clarissime Christo vindicant, & quidem cum exclusione omnium hominum adeoque etiam Davidis ob praedicatorum repugnantiam. 2. Si Epistola ad Hebraeos c. i. v. 5. haec verba remouet ab Angelis, ullique eorum aliquando dictum esse, Filius meus es tu, hodie genuite, negat, multo minus convenient ea hominibus, quippe natura ad huc inferioris & conditionis deterioris. 3. Gratis dicitur, Davidem creatione sui in regem typum generationis Christi exhibuisse, quod probandum. non enim huius vel illi Scripturae loco typicum affingere sensum debemus, ad quem Scriptura nullibi nos remittit. 4. Omnis typus cum antitypo debet habere quandam ἀναλογίαν, cuius in Scripturâ extet vestigium, qualis autem quae so conformitas Davidis in regem creati cum aeternâ Christi generatione, vel ejus in tempore factâ manifestatione à Scripturâ astringitur?

10. Proverb. 8. v. 22. 23. 24. 25. &c. Notandum ad hoc dictum 1. Introduci hic loquentem Sapientiam Increatam, quod patet ex ejus πῆρυξ φῆ, quâ dicitur possessa à Domino principio viae suae, ante opera sua, ante nullum tempus, ante seculum.

seculum, ante principium, quae effata de creatâ Sapientiâ enuntiari nequeunt. 2. Eamq; non essentialem; sed ~~in~~ ⁱⁿ ~~creatu~~ ^{creatu}, prius liquet. Sapiencia DEI essentialis est ingenita. Sapiencia hic introducta non est ingenita sed genita juxta v. 22. 25. E. Sapiencia hic introducta non est essentialis. relinquitur itaq; eam esse personalem; quod similiter ita ex textu evincimus. Cui tribuuntur adiones & passiones, illud est persona. Adiones enim & passiones sunt suppositorum, at Sapiencia huic attribuuntur & adiones, quando dicitur amantes se redamare, v. 17. ludere coram DEO omni tempore &c. & passiones, quando dicitur ungi v. 23. i. e. ad officium destinari, possideri per generationem & gigni v. 22. 25. generatione propriâ. 3. Eamq; dici à DEO generatam. Duo autem verba generationem hanc in presenti loco evincunt. קנה & חול. טו קנה notat quidem in genere possidere, & ita indifferens est ad varios possessionis modos; DEO autem hic attributum, cum notet possessionem rei increata & personaliter subsistentis, aliam significationem nequit admittere, quam eam, quâ Pater per aeternam generationem possidet Filium. טו חול denotat proprie gignere, parere, à cuius propriâ significatione, defecata tamen omni imperfectione & impuritate hic recedere, non tantum nulla nos urget necessitas, sed & eam retinere jubet illud, quod impropria vocis huius acceptio semper à increatum esse excludit, quod tamen à nobis jam ante est evictum.

11. Obnoxium est & hoc dictum exceptionibus tum Iudaorum, tum Phatiniarum. Illi asserunt, Sapienciam de quâ hic Salomon loquitur, esse legem Mosaicam, eamq; hic de se dicere: Ego diligentes me diligo. Hi contendunt, dictum hoc non denotare DEI Sapienciam; sed Sapienciam in genere, quae non sit DEI propria, cum etiam ad reges & principes referatur, de eâ in plurali sermo formetur ac fa-

nitatis

Galatino
l. 3. c. 30
p. 115.

suitati in subsequentibus opponatur, qua & ipsa sic vi oppositorum persona dicenda &c.

12. Resp. 1. Diligere est rationalis natura proprium, proindeq; legi Mosaica nequit easenu ascribi. 2. Lex Mosaica cepit promulgante DEO in monte Sinai, quomodo ergo de se dicere posset: DEVS possedit me principium via sua, antequam quisquam faceret? 3. Transigant Iudaei cum priscis suis doctoribus, qui locum hunc non per legem Mosaicam, sed per אלהים i. e. proprietatem DEI sancti & benedicti qui mundum in Sapientiâ creauit exponunt, ut Galatinus d. l. ex libro Sanhedrin cap. תורת משה deducit. 4. Quod est increatum, est ipse DEVS. Sapiencia hac est increata ut ante vidimus, B. 5. Reges per hanc sapienciam regnant & principes iusta decernunt non formaliter, velut residente in eorum animis sapiencia huius qualitate, sed efficienter, quatenus increata hac sapiencia animis eorum instillat sapiencia creata habitum cuius adminiculo regnant & iusta decernunt. 6. Quando Proverb. 9. de sapiencia in plurali sermo fit, quidam יחידים id explicant, ut sensus resuletur hic: Sapienciarum videl. Sapiencia i. e. יחידים & אלהים. nos simplicissimè hoc explicari posse putamus per Enallagen numeri Hebraei frequentissimam, quam omnia predicata in singulari numero adiecta euincunt. 7. Stultitiam quando introducit Salomo, non necesse est fingere prosopopaeiam hic quandam. personam enim mulieris introducit hic in eâ stultitia quasi schema exhibiturum à summâ muliebris animi ad stultitiam inclinatione & ita personam persona ex aduerso opponit.

13. Pontificij dictus his פתום de Filij DEI generatione agentibus accensent illud Ps. 110. v. 3. insistentes versioni sibi authentica vulgata, qua id ita transtulit: Ex utero ante Luciferum genui te. Sed praeterquam, quod hac versio à veritate Hebraicâ recedit, videntur commodius hac verba
Psalmi

Psalte exponi posse de *nativitate Christi in tempore*, juxta quam *Messias* ros appellatur, ad designandam occultam ejus & incomprehensibilem *Incarnationem & nativitatem*. unde etiam *Galatinus* à suis complicibus in hujus dicti explicatione recedit, deq; generatione temporalis exponit, quam cum rore comparatur diversis de causis, quas d. l. persequitur *Galatinus*, ab hac expositione non abludivit dictum *Esa. 45.* ubi adventus Christi in carnem, votis piorum *V. T.* expetitus, rorandi voce exprimitur, quin & *Rabbini* locum hunc de temporali nativitate acceperunt, talem enim ejus sensum tradit *R. Isaac Arama*: קודם שיכרא רחם יולדתך i. e. antequam crearetur vulva genetricis tua, prophetata fuit nativitas tua.

14. 2. Probant hanc *Generationem Filij DEI* ab aeterno ex *Patris essentia Consequentia*, ex *Scripturis* deducta, in quarum censu ponimus. 1. Ea dicta, quae secundam *Deitatis personam DEI Filium* multoties indigitant, interdum quidem $\alpha\omega\lambda\omicron\varsigma$, quandoq; etiam cum additâ quadam declaratione, cum enim *Scriptura* mentionem faciat *Filiorum DEI*, diversas ob causas de hoc nomine participansium, per exegetis alibi additam se explicat, qualis hic *DEI Filius* sit, quando eum salutat, *Filium DEI proprium Rom. 8. v. 32 unigenitum Ioh. 3. v. 16. unigenitum à Patre Ioh. 1. v. 14.* unde ita inferimus. Qui est proprius, *Unigenitus & quidem à Patre vero DEO DEI Filius*, ille utiq; ex *Patris essentia* genitus est. at *Christus* secunda persona *Trinitatis* est proprius, unigenitus, & quidem à *Patre vero DEO DEI Filius*. E. Major est evidentissima. Ad id enim proprium esse *Filium*, requiritur propria generatio. Propria autem generatio, est ex gignentis essentiâ ejusq; communicationem infert, tum etiam alia dari non potest causa, cur *Filius DEI* $\mu\omicron\nu\omicron\gamma\epsilon\nu\eta\varsigma$ & quidem $\pi\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma$ $\pi\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma$ indigiteretur, quam quod ab aeterno ex *Patris essentiâ* genitus est.

Lib. 3. de
arc. Cas
thol. ver.
c. 17.

In com-
mentar.
super Ge-
nes.

B

15, Pho-

15. Photiniani quidem anxie conquirant alias huius
appellationis causas, ascenses, Christum vocari μονογενῆ se-
cundum humanam naturam, vel ob μονόγετον ex Spiritu S.
in Maria virgine conceptionem, vel ob dilectionis singula-
ritatem, vel ob adoptionem, vel ob hereditatem omnium,
vel ob unctiōem, vel ob prerogativam, quod eius tempore
nullus fuit talis DEI Filius, qualis in N. T. esse debuit, vel
ob resurrectionem et exaltationem, vel ob denominatio-
nem Filiorum DEI à Christo.

16. Sed resp. 1. Christus etiam secundum humanam
naturam, personaliter sibi unitam, est quidem unigenitus
& proprius DEI Filius, iuxta illud Luc. 1. v. 35. sed non
propter humanam naturam eiusque μονόγετον à Spiritu S. in
Mariâ virgine conceptionem & nativitatem; quippe ob
hanc generationem in tempore ex Mariâ, potius μονογενῆς
πατρὶ μνηστῆρος, quàm πατρὶ πατρὸς dicendus esset, cum Spiritus
S. in generatione Filij in tempore non gignens, sed crea-
tus personam gesserit, ac concurrerit, ἡ σπερματικῶς, ἀλλὰ ἡ
μυζητικῶς, notante Damasceno. 2. Ob nudam dilectionem,
non presupposito actu generationis, aliquem dici in Scriptu-
ris μονογενῆ, dicitur, non probatur. consequitur quidem ad
μονογενείαν dilectio, insimul verò principaliter per eam vo-
cem generatio innuitur, & hoc videre licet in exemplis,
quæ Photiniani adducere solent. Isaac & Salomon dicun-
tur unigeniti, vel unici, cum plures habuerint fratres, non
ob dilectionem solum; sed presupposito quod uterque eorum
ex Patris substantia prognatus est, imo Isaac respectu prin-
cipalis conjugij μονογενῆς rectissime vocatur Hebr. 11. v. 17.
3. Ob adoptionem Christus DEI Filius nevisquam dicitur.
Nam juxta Photinianos, nominatim Smalzigium, adoptivus
proprie significat eum, qui cum ante non esset alicujus Fili-
us, postea adoptatus, adoptatus autem tantum pro Filio ha-
betur & ut Filius tractatur, cum revera non sit Filius, à
quo

Lib. 3. de
Orthod.
fide c. 2.

In exam.
157. et
ror.

quo adoptatur, nec Filius eius proprie appellari possit. quae omnia à Christo ut DEI Filio longissime abesse claret, cum ab aeterno DEI Filius adeoque nunquam non DEI Filius fuerit, imo filius proprius, Patris proprii Rom. 8. v. 32. Iob. 5. v. 18. reliquis DEI filiis adoptivis contradistinctus Hebr. 1. v. 2. 4. 4. Nulla dari potest ratio, cur ob solam hereditatem Filius DEI dicendus sit unigenitus, cum possint esse multi heredes, qui non sunt Filii geniti. 5. Nec propter unitionem secunda Trinitatis persona Unigenitus DEI Filius dicitur. Unio enim facta est in tempore, generatio ab aeterno. Unio humanam, Generatio divinam Filii naturam respicit. 6. Christum ob prerogativam, quod videlicet tempore eius nullus fuerit talis DEI Filius, qualis in N. T. esse debuit, unigenitum DEI Filium dici concedimus, prerogativam autem eminentiorem aliam non agnoscimus, quam quod ex Essentia DEI ab aeterno est genitus. 7. Per resurrectionem & exaltationem declaratur quidem aeterna Filii à Patre generatio, per haec autem formaliter non constituitur, sed per totum gigni ex Patris essentia. 8. Denominatio filiorum DEI à Christo ei nomen unigeniti DEI Filii non imponit, sed potius Patris, cum Filii denominatio sit à Filio non à Patre.

17. 2. Quae Filium DEI vocant λόγον ut Psal. 33. v. 5. Iob. 1. v. 1. 14. 1. Iob. 1. v. 5. c. 5. v. 7. Apoc. 19. v. 13. ita quoque paraphraeses Chaldaea sapientissime usitur voce כְּדִבְדִּי in locis de Filio DEI agentibus. Salutaris autem λόγος Filius DEI, non ideo tantum, quia omnia populo DEI erat annuntiaturus, ut Photinians placet, sed & alijs de causis, quas optimè explicarunt veteres Ecclesiae Doctores. Ita enim Basilus λόγον dictum putat Filium DEI ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας γενήθη, ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐγενήθη, ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας γενήθη, ὅλον ἐν ἑαυτῷ δεκτικὸς τῆς γενήσεως καὶ τέλει τῶν ὑπάρχων κατ' ἑαυτὸν, quae eadem ferè reperit Nazianzenus praememoratus, addit λόγον Filium DEI διὰ τὸ συναφές καὶ διὰ τὸ ἰσαγγελικόν.

B 2

18. Hinc

Tom. 1.
homil. 16Lib. 4. de
Theol. orat. 2. de
Filio.

Aristot.
lib. 2^o de
interpretatione.
cap. 1.

18. Hinc ergo liquet Filium DEI appellari λόγον. 1. ob αναλογίαν cum λόγῳ ἔσω, ratione aeterna à Patre generationis. Vt enim conceptus mentis, vel verbum internum à mente gignitur, & quidem sine ullâ passione, quippe immaterialiter, mentemq; nobis representat de re intellectâ, & in mente à qua emanat manet: sic Filius DEI à Patre genitus est ἀπὸ θεῶς καὶ ἀναλογίως, exhibens imaginem Patris in seipso, patriq; per essentialem immixtionem ac circuminceptionem arctissimè conjunctus & unitus est & manet. 2. Ob αναλογίαν cum λόγῳ ἔξω. Vt enim λόγῳ ἔξω est symbolus τῷ ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων, eaq; notificat; ita etiam Filius DEI Paterna mentis ac voluntatis plenissimus est ἐξηγητὴς juxta Iohann. cap. 1. v. 18.

19. 3. Quae Filium DEI indignant θεῶς καὶ πατρὸς εἰκόνα καὶ χαρακτῆρα 2. Cor. 4. v. 4. Coloss. 1. v. 15. Hebr. 1. v. 3. qua non hoc solum volunt, ac si inter Filium & Patrem similitudo quaedam intercedat; sed connotant etiam originem, quae si absit, una res alterius imago non dicitur. Etsi enim ovo ovum sit quam simillimum, ut etiam in proverbium hoc abierit; tamen ovum non dicitur imago alterius ovi, quia videlicet de eo non est expressum. Filius itaq; DEI character & imago Patris dicitur ratione aeterna generationis, per quam ex Patris essentiâ productus est.

20. 4. Illud Hebr. 7. v. 3. ubi Melchisedech dicitur ἀφωμοιωμένῳ τῷ υἱῷ ἔθις, cujus assimilationis capita ibidem recensentur, quod videlicet fuerit ἀπὸ τῶν ἀμήτωρ ἀγενεαλόγητος &c. Vti autem ratione generationis in tempore, Christus non agnovit Patrem, sed tantum matrem; ita quaerenda est alia ejus nativitas juxta quam non agnoscat matrem, vel enim quâ natus in tempore, vel quâ ab aeterno, vel nullo modo ἀμήτωρ dici potest, non primum, nec postremum ἀναλογίᾳ fidei admittit. E. secundum.

Smaltz.
lib. de

21. Photiniana quidem glossa locum hunc ita perver-

111

est, ac si autor hujus Epistolæ his verbis docere voluerit: non talem esse DEI Filium qualis his verbis describitur, sine Patre, sine matre, sed talem esse Sacerdotem, sed petit ea principium & quæ de Melchisedechæ absolute ratione originis dicuntur, quod sine Patre & matre fuerit, etiam nullâ Sacerdotij mentione factâ, ea ad originem Sacerdotij restringit, præterea evidens satis est oppositio, nec initium dierum nec vita finem habens, quam qui ad sacerdotium referre velit, apertam rextus injuriam facit eiq; præconceptam infert opinionem.

22. Generationis hujus Filij DEI ab aeterno ex Patris essentiâ, ex præmissis fundamentis asserta, per multos omni tempore adversarios se declarârunt. Non resuscitabimus sopitos dudum cineres Arrianorum, Psatyrianorum, Priscillianistarum, Mahumetistarum, Iudaorum, Samosatensianorum &c. vivunt etiamnum in tam clarâ Evangelij luce, qui eam conatu longè maximo impugnant deq; eâ blasphemio ore pronuntiare non verentur, quod sit non Ens, nullo nisatur fundamento, imò crassum errorem redoleat. Neophotinianos indigito, qui non aliter DEI Patris divinam stabilire posse se putant gloriam, nisi cum Filij ignominia, qui considerare debebant illud Augustini: cum de Filij contumeliâ honoras Patrem, & Filium offendis & Patrem.

23. Instituti nostri ratio non patitur, prolixam refutationem texere argumentorum à sectarijs pro sententiæ suæ assertionem, nostra verò destructione auctorum; illa duntaxat ad examen vocabimus, quæ in libro præterito anno divulgato Photiniano quidam Iohannes Crellius, Francus adverse parti substernit fulcra, idq; Ἰσχυρῶς, cum plenam totius hujus scripti anatomen propediem expectemus à Theologo hujus temporis non infimo.

24. Ita autem Crellius noster, evicturus, dogma de æternâ Filij ex Patris essentiâ generatione pluribus contra-

Christo
vero &
nat. DEI
Filio. c.
2. p. 15.

Smalzer.
in refut.
ad 3. part.
resp.

Smigl. c.
26. p. 240
ibid. resp
ad c. 23.
p. 196.

Sermon:
51. de
verbo
Domini.

De Uno
DEO Pa-
tre.

L. 1. de us-
no DEO
Patre

sect. 2.
c. 1.

ditionibus & absurdis facundam esse. Primum (inquit) inde sequitur, Filium esse suipsum Filium ac Patrem. Exemplum ex cuius essentia quispiam generatur eius est Filius. At si illa adversariorum de Filio DEI sententia vera est, sequitur, Filium ex sua ipsius essentia esse genitum. quare Filius suipsum Filius, ac porro & suipsum Pater erit: id quod manifestam involvit contradictionem. Majorem demonstrationem non egere putat. minorem vero ita probare nititur. si eadem numero est essentia Patris & Filij; certe & Filius ex essentia Patris est genitus, ex sua ipsius essentia est genitus.

25. Resp. Negando in pramisso argumento minorem, non enim Filius ex sua genitus est essentia; sed ex essentia Patris. nec prius, ut putant adversarij, ex nostra sententia sequitur. Etsi enim una sit & maneat divina essentia; tamen actus hi vel productiones in divinis adequatè & formaliter vel immediatè non fluunt ab essentia divinà, nisi in quantum ea certo caractere personalis ex communi in singulare & tamen contracta, & ut Scholastici loquuntur, individua est. Unde D. Athanasius ait: Patrem hypostasis sua gignere. Si potentia generandi esset quid absolutum Filius non minus generaretur à seipso, quam à patre; jam verò cum sit $\chi\lambda\iota\sigma\upsilon\upsilon$ & Pater hoc ipso generet Filium, quod, ut persona talis est, habet potentiam generandi, à qua est ipsa generatio, vi cuius Filius existit, hoc quod adversarius inde elicere conatur, ex dogmate hoc sequi minime agnoscimus. Videatur Greg. de Valent.

26. Porro ita inferi ἰσόμοιχ . Si DEVS ex essentia sua generavit Filium, & rursus unà cum Filio produxit Spiritum S. & hi idem sunt cum illo DEVS; nulla est causa, cur non & Filius alium iterum generet Filium: similiter & Spiritus S. alium; & hic praterca alium, atq; ita in infinitum. quid enim? an quod Pater potuit, Filius non potest

In dial.
de Trinit.
contra
Anomae
os p. 659.
Tom. 1.
disp. 2. q.
15. de act.
mot. pūct.
2. p. 94.
&c.
Idem i-
bid. c. 2.

potest ac Spiritus S. ? non ergo idem sunt cum illo DEVS, cum non eandem habeant facultatem ac potentiam sed inaequalem. Num dices eos noluisse ? At res ejusmodi, quae ad intra, ut loquuntur, spectant, in DEO prorsus sunt necessariae ; non verò liberae voluntati subjacent. Quod si voluntati liberae subjacent, fieri poterit, ut intra tempus aliquod plures divinae personae accrescant, ubi nimirum personae illae, quae hucusq. generare aut spirare personas alias noluerunt, voluerint.

27. Resp. Negando nexum in maiore. In Ente enim simpliciter necessario, quale est DEVS, id quod actu non est, non potest esse. Scholastici quidem afferre solent rationes, pro evincendo eo, quod actus notionales in divinis non possint ad plures quam tres personas terminari, ex parte relationis, quae constituitur persona procedens, ex parte actus per quem personae procedunt, ex parte modi producendi & ex parte perfectionis personae procedentis ; sed ipsimet imbecillitatem earum agnoscunt, ac ultimò ad Scripturam confugere coguntur. sunt enim mysteria haec merae revelationis, in quibus acumen ingenij humani, quantumvis maxime perspicacis, nihil proficit. Contra hanc verbi revelationem clarissimam λακτιζή hic nostrer, quando nobis δῆμον θεῶν in cerebro suo prognatū obtudit. Si quod Pater egit (infert) producendo Filium, causa est cur Filius & Spiritus S. idem non agant, similiter Filium producendo, vel sita est in eo, quod id facere non potuerunt, vel quod noluerunt. Non potuisse inaequalitatem personarum introduci. noluisse non admittit quod actus hi sunt necessarij, non liberae voluntatis, assumo prius membrum disjunctionis in hac probat. majoris dicoq. Filium & Spiritum S. ideò non generasse Filium alium, quia non potuerunt, nec infert hoc inaequalitatem personarum. non enim denegetur quid Filio & Spiritui S. in essentialibus, quod habeat Pater, sed duntaxat in personalibus.

libus.

Idem ibi.
dem c. 3.

libus, potentia videlicet generandi, quæ, ut ad præmissum argumentum vidimus, fuit non immediatè ab essentiâ, sed à personâ & hoc tantummodò inferre permittit, quod Filius & Spiritus S. sint distincta à Patre personæ, cum eundem characterem personalem, quæ Pater habet, ipsi nõ admittant.

28. Tertio infert adversarius, ex generatione Filij ex Patris essentiâ sequi Filium DEI ab aeterno & fuisse & non fuisse, fuisse, quia ab aeterno à nobis generatus dicatur, non fuisse, eò quod generatus est, & quidem ratione substantiæ, propriè dictâ generatione, quæ cum contradictoria sint seq. mutuò perimant, negādum id, ex quo ea sequuntur & c.

29. Resp. ut prius ex doctrinâ nostrâ de Generatione Filij ab aeterno sequi libenter damus, ita posterius ejus consequarium esse inficiamur, cum procedat ex hypothesis falsâ, quod omnis generatio propriè dicta, ratione substantiæ sit mutatio à non esse ad esse; cum tamen physica tantum generationis definitio hæc sit, adq. hoc mysterium, propter adhaerentem imperfectionem, applicari non possit, nec debeat.

30. Revertit Adversarius, arguendo nos inconstantia & summa audacia. Inconstantia; quod dicentes Generationem Filij esse supernaturalem & à naturali adeò diversam; tamen plurima ex generatione naturali ad eam accommodamus. v. g. hanc propositionem: Generatum generatione propriâ est ex generantis essentiâ, audacia; quod sumamus hoc nobis, pro lubitu generationis naturali rationem ac similitudinem urgere modo, modo repudiare. Si proprietatem vocis urges, ait, cum Christus à DEO generatus esse dicitur, & inde concludis eum omninò ex substantia ejus generatum esse: quia illos, qui propriè ex aliquo sunt generati, ex substantia ejus generatos esse oporteat; cur non etiam vides, Christum ex non ente factum esse Ens, & sic aliquando non extitisse; cum hoc non minus quam illud, ad proprietatem pertineat generationis illorum, ex quibus

primus

prius illud colligis. Est enim hoc essenziale, ut tu fateris, generationis naturalis, ut sit mutatio ex non ente in Ens. Cur deinde non agnoscis aliam esse substantiam generantis, aliam generati? cum hac per generationem demum produca-
tur, illa iam ante extiteris: altera sit causa, altera effectus. cur deniq; non agnoscis, etiam Filium tempore esse posterior-
em Patre? quod si hac agnoscere in Filij DEI generatione non vis, nec sententia tua permittis; ne vocis proprietatem urgeas, aut eam ex rebus naturalibus ipsemet astimes &c.

31. Resp. Ab utroq; crimine, cuius nos reos peragere vult Adversarius, satis non vindicat sententia nostra rectè percepta. Dicimus enim & ingeminamus. Generationem Filij ex patris essentiâ esse $\mu\omega\nu\tau\epsilon\sigma\omega\mu\upsilon\nu$, non dijudicandam & exigendam ad vulgaris generationis rationem, huic assertioni non contrariatur, quod generationem Filij ex Patris essentiâ asserimus, quia hoc etiam in communi generatione occurrit, ut genitum participet de gignentis essentiâ: quippe quodcumq; dicit perfectionem in humanis, adeoq; etiam in humanâ generatione, id ipsum in DEO reperitur. Sed quomodo, an eâ ratione, quâ est in humanis? minimè, quippe eminenter. v. g. Generatio essentia communicationem inferens, perfectionem in humanis denotat, nihil itaq; prohibet ad divina id accommodare. manet nihilominus, quod quando in divinis dico: Generatio Filij est ex Patris essentiâ, id eminentiori modo declaret communicationem essentia, quam in humanis. notatur enim communicatio essentia ejusdem non specie, sed numero, adeoq; non partialis sed totalis, eaq; non alienatione sed communicatione. Dicis. In uno tamen hoc tertio communicationis essentia admittit eandem rationem divinâ & humana generationis; cur non & in alio? resp. Diversa est horum ratio, communicatio enim essentia dicit perfectionem, progressus à non esse ad esse imperfectionem, illam DEO tribuere, hanc ab eo removere debeo.

C

32. QUAT.

Idem ibi-
dem c. 4.

Lib. 1. In-
stic c. 13.
S. ult.

Epist.
174. ad
Palcenti-
um.

In Isag.

c. 1. de o-
rigin. lat.
ling p.
338.

32. Quarto taliter insurgit: Quod si DEVS ex essen-
tia sua ab aeterno generavit Filium, adhuc etiam eundem
generat & in aeternum generabit, si vero ab aeterno genuit
Filium, nunc autem non amplius gignit, factus est ex gene-
rante non generans, quae mutatio in DEVM non cadit, haec
absurda.

33. Resp. Calvinus quidem vult, Filium semel geni-
tum fuisse, nec iam generari, imò stultè fingi in DEO conti-
nuum actum generandi. nobis autem de aeternitate huius
generationis à Scripturâ edoctis, absurdum non est cum Au-
gustino dicere: semper gignit Pater & semper nascitur Fi-
lius, nec absurdum est in DEO semper statuere nativita-
tem, sed perfectam.

34. Expeditâ badlenus quaestione è ἐστίν, succedit qua-
estio πῶς, de quâ nunc porro dispiciendum. Cum verò in-
quiditate alicujus inquirimus, vel quarimus quid nomi-
nis, vel quid rei. Nominis evolutio precedanea est, cum no-
men sit quasi rei novimen.

35. Constat haec. 1. Ἐτομολογία. Latinorum Genera-
tio à generandi verbo deducitur, utriusq; horum primitiva
ratio ad Genus refertur, quod quandoq; γενεαλογία & γενε-
σως δὲ γένω juxta Porphyrium, unde genero quasi genus pro-
pago, juxta Bechmannum. & generatio quasi generis pro-
pagatio. Graecorum quoq; γέννησις, mediante verbo γεννάω,
ad eandem vocem & γένος referimus.

36. Ομωνυμία. Generatio quot modis accipiatur ex
termino innotescit. terminus verò in naturâ Intellectuali
est Filius, qui juxta Scripturam, vel est per communicati-
onem essentia ejusq; vel totius & numero ejusdem, in essen-
tiâ infinitâ, vel partialis & specie duntaxat ejusdem, in es-
sentiâ finitâ, vel per unionem, ut Christus secundum huma-
nam naturam, qui est Filius DEI vivi Matth. 16. v. 16,
vel per creationem eamq; vel immediatam ut Angeli Job. 1.
v. 6.

6. vel mediatam, ut omnes Creatura Job. 38. v. 27. 28.
 29. vel per adoptionem, ut credentes in Christum Job. 1. v.
 12. 13. nos hic Filium consideramus, qui est per communi-
 cationem essentiae totius & numero ejusdem. Alias per di-
 xotamiam progrediendo, Filius est vel proprius, vel impro-
 prius, unde Generatio vel propria, vel impropria denomi-
 natur. dimissâ impropria, propria nostra hic est considera-
 tionis. Scholastici Generationem in divinis dissecunt in
 activam & passivam, qui termini depurandi sunt, ne tō a-
 πωδēs divina generationis in discrimen veniat. activam di-
 cunt respectu Patris generantis, passivam respectu Filij. de
 passivâ hic ex instituto agimus.

37. Συνομιμία. Synonyma Generationis sunt Nativi-
 tas, Generationis Secretum &c. γέννησις, Hebraica veritas
 in traditione hujus mysterij usurpat τὸ γῆν Psal. 2. τὸ γῆν
 (quod de possessione per generationem aliâs quoq; accipi-
 tur Gen. 4. v. 1.) & τὸ γῆν Proverb. 8. at & vocem מצוה
 Mich. 5. quam Rabbenu Hakkaadosch de generatione Filij
 DEI praeterna & temporali exponit, vocisq; מְצוּה in
 numero multitudinis posita causam duo Messie egressus
 assignat.

In lib.
 Gale Ras
 zeia citâ-
 te Galatia
 no lib. 7.
 c. 3. p. 380.

38. Nominis evolutionem in tractatione hâc quiddi-
 tativâ excipit rei enodatio. absolvitur autem ea tum defi-
 nitione, tum attributorum explicatione. Definitionem
 quod attinet, succurrit nobis hic Aristotelis effatum: χαλε-
 πώτερον κατασκευάζειν, ἢ ἀνασκευάζειν ὄρον. proinde facilita-
 si velificantes, prius spurias, minus congruas & imperfectas
 hujus generationis definitiones removebimus, veramq;
 postmodum subjungemus.

7. Topic.
 c. 3.

39. Principiò autem monemus definitionem hujus ge-
 nerationis, Logicam ἀκριβείαν servantem ejusq; regulis
 usquequaq; conformem, dari non posse. definitio enim sequi-
 tur rei cognitionem, adeoq; ubi non est exacta rei cognitio,

C a

sibi

ibi nec talis expectanda definitio, praeterea, quod definitione accuratâ definitur est species, ac eatenus in praedicamento certo, cum praedicamenta sint dispositiones generum & specierum, generatio verò hæc praedicamenta transcendit. Sufficit ergò πυχυλῶς dare conceptum aliquem communem ut & specialem Generis & differentie vices supplementem.

40. In classe definitionum ἀπεγοδιονύτων notamus, 1. Photinianos, qui quacunq; de generatione Filij in divinis à nobis proferuntur, ad normam Physicae generationis examinare solent, hocq; ipso ostendunt, se aliam Generationis definitionem quam eam, quae à Physicis afferri solet, non agnoscere, quam tamen huc non facere qui vis animadvertit, cum generationem non physicam sed hyperphysicam venemur, physicam enim quod attinet eam hinc facessere jubens quod 1. Physica generatio praesupponit non esse & est mutatio cujus terminus à quo est non esse; de Filio verò DEI ex essentia Patris ab aeterno genito tale quid vel concipere nefarium, 2. Fit ea in tempore, quo rerum natura circumscribitur, hæc autem ἀχρον & est, 3. Communicat essentiam eandem specie: hæc verò eandem numero, 4. Est propter conservationem individui, quae in DEO ut Ente à parte ante & à parte post indefectibili, non necessaria, &c.

41. Nec possumus cum ijs facere, qui generationem hanc definiunt per Communicationem essentiae, 1. Enim lata nimis est talis definitio, cum unicuiq; cause efficienti substantiali competat, 2. Restrungendo maximè eam ad substantiae ejusdem communicationem, tamen nos ἀντιπέφωτως τὸ ὁμοῦν, applicari enim potest etiam Spiritus S. à Patre & Filio processioni, quo nomine etiam exagitur à pranominato Crellio ita inferente: Generatio propriè dicta est substantiae communicatio cum altero, an verò processio illa Spiritus S. ab adversarijs excogitata talis communicatio non est? num per processionem illam Spiritus S. essentiam

L. 2. scd.
3. p. 597.
598.

essentiam non accepit eandem numero cum essentia illorum
à quibus processit? ita sanè sentiunt atq; contendunt adver-
sarij. quod si processio Spiritus S. generatio propriè dicta
est; duos habemus in Trinitate Filios, unum primæ personæ
solius, alterum primæ & secundæ, & duos Patres, unum pri-
mam personam quæ duplici nomine pater erit, nempe quia
& secundam & tertiam Deitatis personam generavit, al-
terum secundam quæ unà cum Patre Spiritum S. generavit.

42. 3. Scholastici pleriq; generationis definitionem
tradunt & huic mysterio applicant hanc: Generatio est o-
rigo viventis à principio vivente in similitudine nature,
quæ etsi priori accuratior quodammodò est, cum sit determi-
natio, nec tamen ipsa admitti potest. 1. quia generatio per-
sona à personâ, qualis hîc innuitur, competit non omni vi-
venti, sed tantum intellectuali. 2. In hac generatione non
tantum secundum similitudinem; sed identitatem nature
fit communicatio. 3. Et ipsa eodem quo prior laborat vitio,
quod minimè est àvris go & processionem Spiritus S.
suo comprehendit ambitu. unde & ipsi Scholastici non esse
eam satis adequatam generationi divina fateri coguntur,
videatur Greg. de Valent. d. 1.

Thom.
part. 1. q.
27. art. 2.
Greg. de
Val. tom.
1. disp. 2.
quæst. 1.
punct. 4.

43. Examinatis ac repudiatis præmissis definitionib;
veram Generationis hujus definitionem damus hanc: Ge-
neratio Filij ab aeterno à Patre est per processionem ab eo
ineffabilem communicatio essentia, inferens filiationem.
Constat nostra hæc definitio conceptu determinabili & cõ-
ceptu determinante. Ille generis vicem supplet, & exprimi-
tur per communicationem essentia per processionem à Pa-
tre ineffabilem, in quo convenit actus hic generationis cum
passiva Spiritus S. spiratione. hic includitur his verbis, in-
ferens filiationem, in quo diversitas harum processionum
exprimitur, quod videlicet ad unam consequitur filiationis
relatio, ad alteram non item.

44. *Arrodunt definitionem hanc Theonino dente Photiniani, in primis quâ determinantem conceptum, quem nullum esse putant in eâ; adeoque nostram Generationis Filij definitionem, cum ratione processionis Spiritus S. esse eandem. Sed falluntur. Spiratio enim passiva Spiritus S. cum generatione Filij nihil habet commune præter conceptum genericum, qui à nostratibus restringitur & limitatur per relationem filiationis. In quo etsi ridiculi sumus Photiniani, fit tamen id præter nostrum meritum ac redundat hac injuria non tam in nos quàm in Scripturam ipsam, qua processionem Filij verè ac propriè esse generationem, processionem autem Spiritus S. non item toties repetit. cui ex asse contradicit Photinians noster, quando ita declamitat: quasi fieri possit, ut persona persona substantiam suam re ipsa communicet, nec tamen statim sequatur istius modi relatio; & illa persona qua substantiam suam communicat alteri, eo ipso non protinus existat Pater, aut, (ubi sexus distinctio est, qua in DEO nulla est) mater: & vicissim, is cui substantia communicatur Filius, vel (ubi sexus distinctus) filia. Sed quas promittit hujus sui effati rationes? Fatentur, inquit, ipsi adversarij, Patrie, Filij, generationis, processionis vocabula usi & alia similia per analogiam de DEO & creaturis dici esseque ab his ad DEVM ob similitudinem translata, at in rebus creatis simul ac substantia producta est, generata res propriè dicitur, nec quicquam amplius ad proprietatem vocis requiritur, quod si persona personam produxerit, statim illa Pater, vel, ut diximus, mater appellabitur, hæc filius aut filia. Quod ergo generationi illi est analogum in DEO etiam generatio dici meretur. Id verò est productio alterius persone s. communicatio substantia cum alterâ personâ. hujus porro consequens necessarium est paternitas & filiatio, ei, que in humanis cernitur analoga, siquidem ea generatio inter personas versatur.*

Lib. 2.
se. 3. P.
596. seqq.

45. Premissus adversarii discursus huc redit. Quod est per se
 sequens processionis personæ à personâ in humanis; idem etiam
 erit in divinis. at relatio paternitatis & filiationis est perpetuum
 sequens processionis personæ à personâ in humanis. Et etiam in
 divinis, & per consequens obtinebit id etiam in processione Spiritus
 S. à Patre & Filio, nullaq; inter utramq; processionem remanebit
 differentia. Majoris probatio ex præmissis abundè patet.

46. Resp. ad propositionem ejusq; allatam probationem. 1. Con-
 sedimus terminos in hoc mysterio adhibitos, ac inter alia terminum
 processionis, per analogiam quandam de DEO & creaturis enuntia-
 ri. 2. Analogie illius rationem in eo consistere asseveramus, quod
 quemadmodum in humanis per processionem persona personæ commu-
 nicat essentiam, ita etiam in divinis per processionem persona à per-
 sona accipit essentiam. 3. Quod verò analogia ultra hoc tertium ex-
 tendenda sit, & trahenda simul ad consequens necessarium processio-
 nis personæ à personâ in humanis, videlicet relationem filiationis, id
 negamus, Scripturæ ductu, quæ alteram harum processionum tantum
 consequens illud agnoscere docet, de alterâ autem quod id fieri debe-
 at, nos non instruit. hinc proinde valere debet illud: Quod Scripturæ
 tacet (puta in articulis fidei) hoc negat. Ac etsi in quonam consistat
 discrimen hujus processionis Filij à processione Spiritus S. præter
 dictam filiationis relationem tradere non possumus, tamen nec id ipsū
 iudicamus necessarium, alioquin à Scripturâ non foret silentio invo-
 lutum. Scholastici in assignando harum processionum discrimine de-
 sudârunt. Thomas contendit, propterea non esse generationem pro-
 cessionem Spiritus S. quia de ratione processionis per voluntatem, ut
 talis processio, est, non est, ut id quod procedit, procedat ut simile
 volenti. de ratione autem processionis per intellectum est, ut id quod
 per eam procedit, procedat ut simile intelligenti, quatenus intelligens
 est. Richardus de S. Victore & Alexander Aletensis censent processio-
 nem Spiritus S. ideò non esse generationem, quia generatio debet esse
 communicatio præcipua ejusdem naturæ, per quam sc. id quod proce-
 dit, accipiat à producente potentiam communicandi alteri eandem
 naturam. unde cum ex fide constet, Spiritum S. non posse producere
 aliam personam, ut potest Filius, non igitur esse Filium s. genitum.
 alij dicunt processionem Spiritus S. esse per modum amoris cujusdam
 & quasi impulsus; processionem autem verbi non item. Cameracensis
 ponit

Part. 1.
 quaest. 27.
 art. 4.

Lib. 6. de
 Trinit. c.
 8. part. 1.
 q. 42.
 membr.
 artic. 2. 3.

ponit hanc differentiam, quod generatio sit ab uno tantum; spiratio autem a duobus. Sed speculationes hæ parum roboris obtinent & in iisdem sibiipsis non satisfaciunt ex asse Scholastici, ut ex eorum scriptis liquet. Proinde dicimus: Ex eo quod discrimen harum processionum a nobis ignoratur, id minus ritè negari; sed firmiter statuendum esse eas esse distinctas, ideò quia Scriptura distinguit.

47. **Attributa hujus Generationis constituimus quod sit 1. Monóteson** (μονόθεον), una numero, similem sibi nullibi inveniens, non tantum non in censu creaturarum; sed nec in divinis, quod significanter admodum innuitur à Scripturâ, Filium DEI *μονογενῆ πατρὸς πατρὸς* indigitante. consistit autem τὸ μονόθεον hujus generationis in eo, quod Pater nullum, præter hunc, ex essentiâ suâ agnoscit Filium. hoc est generationis hujus ἰδιον, ex quo denominatur ἰδιὸν πατρὸς καὶ ἰδιὸν υἱὸς Ioh. 5. v. 18. Rom. 8. v. 32.

48. **2. Propria, non metaphorica.** Cum enim vox quædam rei tribuitur in genuinâ significatione, ut definitio voce illâ expressa conveniat, non habet locum metaphora. at verò definitio generationis, remotâ tamen omni imperfectione, divinæ generationis competit. adde, quod ubi terminus generationis est proprius, ipsa generatio talis denominanda. In hoc verò mysterio terminus generationis, qui est Filius, est proprius. Rom. 8. v. 32. E.

49. **Valeant proinde Φοβητὰ ἀκρίσματα** quorundam, qui cetera in hac doctrinâ de Generatione Filij ab æterno ex Patris essentia nobis esse volunt ὁμόψυχοι; & tamen asserere non dubitant. Generationem Filij esse metaphoricam. hi nonne eandem cum Photinians inflant tibiam, qui Generationem in DEO propriè dari falsum pariter & absurdum judicant?

50. **3. Aeterna, ut ex Ps. 2. v. 7. & Prov. 8. antea vidimus,** quin et relatio, quæ inter Patrem Filiumq; intercedit, æterno Patri, Filium ab æterno genitum assignat. absurde proinde opponunt Photiniani generationem æternitati, eo quod æternitas dicat indefectibilitatem ab omni parte, generatio autem defectibilitatem à parte ante. quod tamen generationi non omni, sed in natura existenti ac tempore circumscriptæ competens, malè extenditur, ad ἀεὶ ὄντων generationem, quippe ἀεὶ ὄντων, docente Philosopho, ἡ μὲν γὰρ τὸ εἶναι ἕως ἔργου. Et tantum hac vice.

VNIGENITO DEI FILIO GLORIA.

Smaltz,
contra
Frantz.
disp. 1.
p. 3.

Coll. class A. 146, 24